1637.

CCCCXL

Quæstiones Theologicæ pro Doctoratu, Comitijs habitæ. Octob. 2. 1637.

Lex Moralis per gratiam, quæ eſt Viatoris, non eſt implebilis.

IMprobe, Moralem te poſſe attingere Legem
Dic mihi, dic ſodes, Unde, Viator, habes?
Quî ſcis? aut quando expertus? quis talia primus?
Integra quæ ſuaſit ſemita, cujus erat?
Prome virum, deſcribe locum, conſcribe parentes;
Quæ peperit mater? qui genuítq; pater?
Exprime, ſi poſſis; vel ſi hæc minùs obvia ſentis,
Scilicet exemplo credere coge tuo.
Heu miſeram vanámq; fidem, quam ſola ſuperbi
Suſtentat cerebri ficta Chimæra ſui:
Quæque ſibi blandiri auſa eſt, & *poſſe* triumphat,
Quod tamen *eſſe* negat, néve *fuiſſe* probat.
Tempus erat, fateor, cùm Lex Divina placebat,
Cùm grata illius ſingula Legis erant.
Cuncta ſatìs placidè currebant, cuncta rotundé;
Nec mora, nec gravitas, nec labor uſquè fuit.
Sed poſtquam à Domino lapſi defecimus, omnem
Integritas viſa eſt deſeruiſſe locum.
Omnia nunc hęrent, &, quę modò prompta fuerũt,
Admittunt nodos perficienda ſuos.
Flacceſcunt animæ vires, misêre vigorem
Corporis errantem membra ſecuta ducem.
Lex eadem eſt, ſempérq; manet; neq; labe tenetur
Noſtrâ de proprio cedere jure Deus.
Poſſe quidem laxare manum concedimus ultro,
Et dare te legem poſſe tenere ſuam.
Non rogo quid *poterat*, ſolito ſed in ordine rerum
Quid *dedit*, & quid nunc diſpoſuiſſe *velit*.
Certè *principium* neſcit tranſcendere *factum*,
Néve *facultatis* vim ſuperabit *opus*.
Omnino *mutilum* neſcit producere *totum*:
Atque impar humerus ferre recuſat onus.

ERGO

Fruſtrà perfectam ſperas in *corpore* vitam,
Atque minor ſemper Lege Viator eris.

Clerici non ſunt exempti à poteſtate Principum ſecularium.

DEbita poteſtas Clericis conſtat viris,
Et ſanctus ordo: dirigunt, jubent, monent,
Aliquando cogunt, & ſuis pro viribus,
Suos & intra terminos ac limites,
Severitatem pariter exercent piam.
Sed hi Potentes Fortiori ſerviunt,
Et ſuperiorem ſemper agnoſcit thronum
Epiſcopalis Regium. Cedit *mitra*
Gemmis *coronæ*, *veſtis* atque *lintea*
Proinde didicit oſculari *purpuram*,
Scipióque ſceptrum. Nempe ſunt *altiſſima*,
Altis & *altiora*. *Paſtores* ſibi
Rex & Propheta mutui, & *Oves* audiunt;
Sed genere vario. Semper hîc primas tenet,
Et tenuit olim, ſacra *Majeſtas*, Dei
Imago ſummi, veriúſque ſymbolum
Virtutis in cæleſtioribus locis.
Moſes Aaroni Frater, & ab ipſo Deo
Deus ſtatutus: nempe ſummus Pontifex
Parebat ipſe Principi: morem gerunt
Moſi Levitæ. Paulus appellat forum
Cæſaris, & ingens *Gentium Doctor* colit
Gentile ſolium, nec recuſat ethnici
Regis tribunal innocens Apoſtolus.
Chriſtum Pilatus judicat; Chriſtus ſilet:
Si quando loquitur, indè confirmat magis
Authoritatem Pontii, & cœlo datam
Agnoſcit illam, quâ premens is abutitur.
Primus parentum *filius* quondam fuit
Tanquam *ſacerdos* lege Naturæ, tamen
A *ſeculari* nullibi *exemptus* jugo.

ERGO

Generalis illa regula, *Cole Principes*,
Attingit æquè *Clericos*, ac *Laicos*.

Respondens Dr Howlsworth Eman. } Opponentes { Dr Collins Regius Profeſſor. / Dr Bambridge coll. Xti. / Dr Bromwrigge Aul. Kath. / Dr Bachcroft coll. Caio-Gon. / Dr Lany Aul. Pembrok. / Dr Martin coll. Reginal. / Dr Sterne coll. Jesu. } Moderator Dr Cumber Trinit. Procan.

Dr Howlsworth concionatus est tempore antemeridiano.